



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio II. De Generalibus Virtutum infusarum proprietatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Nunc autem manent tria hæc Fides, Spes, Charitas. Cum autem dicit (tria hæc manere) significat illa esse tria distincta. Deinde certum est illa tria separata manere, nam in patria manet Charitas sine Fide vel Spei in peccatoribus manere potest Fides sine Spe vel Charitate. Deinde probat necessitatem huius numeri optimè S. Thomas, *quæst. 62. artic. 3.* Quia ut in Deum tanquam finem tendamus supernaturalem, tria requiruntur, primum est cognitio huius finis, quæ ad fidem pertinet, secundo appetitus efficax huius finis, qui est actus Spei, tertio ad illum finem omnia referre, quod munus est Charitatis. Deinde bona etiam est Suaris ratiocinatio, quia Deum non possumus attingere nisi & sub ratione veri, & sub ratione boni. Deum sub ratione veri non attingit nisi Fides, sub ratione boni attingi potest duobus modis, ut est in se summè bonus & propter se amabilis quod facit Charitas, & ut est summum bonum ipsius amantis, quod facit Spes.

Secundo, quod plures non sint quam tres, minus est certum quamvis communiter sit receptum, nulla enim actio est Theologica quæ ad unam ex illis tribus non possit referri ut ex dicendis patebit.

Solutio
primæ du-
tationis.

Ad primam enim Respondeo eodem argumento probari posse quod vnica in homine sit potentia cuius obiectum sit ens, vna scientia cuius obiectum sit Scibile, vna virtus moralis cuius formale obiectum sit honestas. Nego igitur dari posse unam virtutem cuius obiectum sit Deus, quia sub triplici ratione formali Deus attingi potest. Vnica est virtus Theologica in intellectu cum tamen sint duæ in voluntate, quia intellectus viatoris sub vnica ratione formali attingit Deum supernaturaliter, Deum enim obscurè solum cognoscimus, & in ænigmatæ propter reuelationem. Voluntas autem Deum attingit supernaturaliter sub duplici ratione formali & quatenus est in se bonus, & quatenus est bonus ipsi amanti. Voluntas vnica potentia est quæ attingere potest Deum sub vtraque illa ratione, quia obiectum formale voluntatis latius patet, quam obiectum formale habitus. Deinde potentia voluntatis ut potest sperare nunquam separatur à potentia voluntatis ut potest amare, habitus autem Spei, separatur ab habitu charitatis.

Secundæ.

Ad secundam Respondeo habitum illum voluntatis quo inclinamur ad volendum credere reuelatis esse verum habitum supernaturalem distinctum ab habitu Fidei, sed illam esse Virtutem Moralem non Theologicam, quia eius obiectum est honestas credendi primæ veritati reuelanti. Iudicium illud speculatiuum quod actum Fidei præcedit, ostendam infra esse purè naturale: & si esset supernaturale, non esset tamen Theologicum, cum eius obiectum non sit perfectio increata: ex quo etiam defectu iudicium practicum præluens voluntati credendi, est purè morale pertinens ad prudentiam.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo habitum scientiæ Theologiæ non esse nisi naturalem, cum immediatè nitatur discursu naturali, neque sequitur aliquid esse supernaturale, quoties præsupponit aliquid supernaturale, nam hæreticus credit multos articulos, reuelatos fide acquisita. Sed neque obiectum formale Theologiæ perfectio est increata, versatur enim circa Deum ut cognoscibilem discursu.

* *

QVÆSTIO II.

De generalibus virtutum infusarum proprietatibus.

Sic constituta existentia, quidditate, ac numero harum virtutum, maior sequitur controuersia de generalibus illarum proprietatibus, in quibus tamen explicandis omitti ea omnia debent quæ disputata prima parte de lumine gloriæ, nam huc illa omnia ferè pertinent, cum lumen illud & fax cælestis Ierusalem non sit nisi habitus supernaturalis. Omissis igitur illis omnibus tria restant. Primum an & quomodo habitus isti sint supernaturales, secundo vtrum sint extensiuè indiuisibiles, tertio vtrum essentialiter sint Virtutes, ita ut nunquam possint esse vitia, quod autem poni quarto loco poterat quomodo isti habitus sint causæ solum instrumentales actuum quos produciunt solum omnino est prima parte cum dictum est de lumine gloriæ quod non est nisi causa instrumentalis, actus visionis.

SECTIO I.

An & quomodo Virtutes Theologiæ sint supernaturales.

Hæc est prima & nobilissima proprietas harum Virtutum, quod superent omnem naturam, hoc autem difficillimum est sanè dicere, quia non satis constat quid sit illa supernaturalitas in genere, deinde vnde habeant actus & habitus quod superent omnem naturam etiam possibilem, an ab obiectis formalibus, an verò à principiis productiuis, quod est quærere vnde probari possit à priori, & non à posteriori tantum, quod sint supernaturales, primo ergo inquirendum est quænam sit propria quidditas entis supernaturalis in genere, id est quid sit habitus & actus Theologicus esse supernaturalem, secundo vnde peratur & probetur supernaturalitas actus & habitus Theologici.

§. I.

Quidditas propriæ entis supernaturalis in genere.

Certum est primò, quod vox illa (supernaturale) primò non potest significare illud ens quod perfectione superat ens quodlibet naturale, nam multa entia purè naturalia superant perfectione res supernaturales, nam modus præsentie sacramentalis quam habet Christus in Eucharistia perfectione superatur à multis substantijs: & Deus cum sit omnium perfectissimus est tamen ens naturale ac vera natura, excessus igitur perfectionis non significatur per illud super. Secundo ens supernaturale non significatur per illud quod à nulla causa creata produci potest, siue quod superat vim actiuam cuiuscunque creaturæ, sed à solo Deo potest produci, nam Angelus, anima rationalis, & materia prima non possunt produci nisi à Deo solo, & tamen non sunt res supernaturales. Tertio supernaturale non significatur illud quod repugnat naturæ, sicut etiam naturale non significatur, id quod est naturæ conueniens, nam visio beata, virtutes, & alia entia supernaturalia perficiunt naturam, & sunt illi valde conuenientia. Quarto igitur supernaturale non potest aliud significare nisi quod est indebitum cuiuscunque substantiæ tam creatæ, tam creabili, si enim esset alicui solum naturæ indebitum, quodlibet accidens esset supernaturale, nam accidentia leonis indebita sunt

Supernaturale quid non sit.

Supernaturale quid sit.

sunt homini ut patet. Imò si non esset indebitum cuiuslibet naturæ id quod est supernaturale, certè accidentia supreni Angeli essent supernaturalia, quia non sunt ulli alteri naturæ debita. Itaque supernaturale hoc loco significat id quod est super exigentiam naturæ cuiuslibet creatæ aut creabilis.

Aliquid potest esse supernaturale tripliciter. Certum est secundò, tripliciter posse aliquid esse supernaturale. Primò secundum suam substantiam & entitatem suam, cuius nimirum entitas nulli prorsus subiecto potest esse debita, cuiusmodi sunt lumen gloriæ, visio beata, unio hypostatica. Secundò, potest aliquid esse supernaturale secundum modum intrinsecum, id est cuius entitas prorsus naturalis inherenter habet entitatem modalem nulli prorsus subiecto debitam: præsentia enim Christi sub speciebus Sacramenti, & modus accidentium existentium extra subiectum in eodem Sacramento sunt supernaturales. Tertiò, potest aliquid esse supernaturale secundum modum extrinsecum, quoties est supernaturale solum in suo fieri, id est in quo nulla est entitas supernaturalis, sed tantum efficitur modo aliquo qui omni naturæ indebitus est, ut cum restituitur cæco visus, cum solo imperio restituitur ægro sanitas: in his enim omnibus nulla entitas producitur quæ non sit naturalis, modus tamen quo producitur non est naturalis. His ita positis.

Sensus questionis. Magna inter Theologos omnes controuersia est, quænam sit ratio propter quam aliquid vniuersim est tale ut nulli naturæ creabili debitum sit, si enim dantur entia eo modo superantia exigentiam cuiuslibet naturæ, certè assignabilis est ratio aliqua omnibus communis ob quam omne quod dicitur supernaturale, superat exigentiam cuiuslibet naturæ.

Ratio prima dubitandi. Ratio ergo dubitandi primò est, quia si actus Fidei, verbi gratia, est supernaturalis æquæ ac modus præsentia sacramentalis, certè assignabilis est ratio in qua conueniant, & propter quam indebiti sint omni subiecto creabili: non apparet autem quid sit illis commune.

Secunda. Secundò, quando supernaturale dicitur esse illud quod non potest esse ulli subiecto debitum præsupponitur quod solum accidens esse potest supernaturale: hoc autem non videtur verum, quia substantia non minus esse potest supernaturalis quam accidens, nam Deus totus substantia est, & totus est supra naturam. Deinde ratio supernaturalitatis non pugnat cum ratione substantia, alioqui Deus non esset supra naturam, nec cum ratione entis creati, quia omne accidens creatum est. Denique nulla videtur esse ratio cur sit impossibilis aliqua substantia cui sit debitus actus Fidei, nam est possibilis aliqua substantia quæ adæquet perfectionem intellectus habentis lumen Fidei, quolibet enim finito potest dari maius, aut certè æquale: illa substantia cui esset debitus actus Fidei esset supernaturalis, ergo est possibilis aliqua substantia supernaturalis.

Affertio prima. Dico primò, rationem supernaturalitatis ita esse in eo sitam quod sit res indebita omni prorsus subiecto, & tamen adueniat alicui subiecto, ut non sit tamen vlla ratio communis omni enti supernaturali, propter quam omni prorsus subiecto sit indebita, sed in singulis specialis ratio reddenda sit supernaturalitatis. Ita docent multi cum Vasque 1. p. disp. 214. c. 2. Salas tom. 2. tract. 6. Conink disp. 44. dubit. 1.

Probat. Ratio est, quia in eo solo supernaturalitas simpliciter dicta consistere potest, quod conuenit omni & soli enti verè supernaturali, sed esse indebitum omni prorsus subiecto creabili, conuenit omni & soli enti supernaturali, nihil enim inuenies supernaturale quod non superet exigentiam cuiuslibet subiecti creabilis,

ergo in eo solum consistit supernaturalitas: quod autem nulla possit ratio dari omnibus communis ob quam omnia supernaturalia sint indebita subiectis non potest melius probari quam sint insufficientes illi omnes modi quibus explicari solet illa supernaturalitas.

Prima ergo explicatio est Antonij Peres *Certamine 4. Scholastico cap. 4.* dicit ens supernaturale illud appellari quod est ordinis diuini, qui sine dubio superat ordinem omnem creatum, atque quod est diuini ordinis est indebitum omni subiecto creato, & est supernaturale. Esse autem ordinis diuini, nihil aliud est (inquit) quam esse Deum, vel esse iuxta exigentiam diuini esse, id est ordinari ad attingendum Deum ut Deus est: huiusmodi sunt omnia quæ vel formaliter sunt in Deo, vel quæ Deus operatur in nobis ut proportionato modo perfruamur ipso, & ipsum intra propriam eleuationem obiecti attingamus, siue per assimilationem, siue per cognitionem, siue per amorem, quia illa non sunt Deus, sed sunt iuxta exigentiam diuini esse atque ad eum ordinis, quemadmodum species intelligibilis dicitur esse intra eundem ordinem in quo est obiectum, quia ordinatur ad obiectum prout obiectum est, sic omnia quæ ordinantur ad Deum, prout est obiectum eleuatissimum dicuntur esse ordinis diuini, & supernaturalia.

Hæc explicatio ingeniosa & subtilis est, sed sanè non attingit rationem adæquatam supernaturalitatis, nam productio accidentis extra subiectum, modus existendi Christi sub speciebus, non possunt eo modo esse diuini ordinis cum non attingant Deum ut est obiectum eleuatissimum.

Secunda explicatio cum priori ferè coincidens est Albertini, *tomo 1. Corollario 2. & 3.* dicit autem supernaturalitatem esse participationem perfectionum cum Deo reciprocarum, tria enim, inquit, genera sunt perfectionum in Deo: quædam ita sunt Deo propriæ ut sint omnino incommunicabiles creaturis ut esse à se, esse actum purum, esse infinitum essentialiter: aliæ in suo conceptu abstracto nihil includunt Deo proprium, sed sunt prorsus indifferentes, ut contrahantur, tum ad Deum tum ad creaturas, verbi gratia, intellectio, volitio. Denique aliæ ita sunt Deo propriæ ut licet non repugnet eas communicari creaturis, non possint tamen præscindi à proportionem ac connexionem cum Deo, quia essentialiter conueniunt Deo ut à creaturis distinguitur, atque ita sunt supra exigentiam naturæ cuiuslibet creabilis, sunt enim reciproca cum Deo cui soli possunt esse naturales hæ perfectiones in summo non sunt nisi in solo Deo, citra summum autem communicantur etiam creaturis, sed ita tamen ut aliquid importent Deo proprium, ut appareat eas solius Dei esse proprias, & ratio est, quia nihil potest totam naturam superare, nisi sit Deus, vel aliquid proprium Deo ut Deus.

Hæc etiam explicatio in multis deficit non enim conuenit omni enti supernaturali ut ex dictis patet. Deinde petit principium, quæritur enim quare gratia, visio beata, actus Fidei sint magis participationes perfectionum Deo propriarum, quam ratio substantia, intellectio, & volitio, aut quare non æquæ præscindant à proportionem ac connexionem cum Deo & conueniant Deo ut à creaturis distinguitur. Nam etiam intellectio & volitio sunt participationes Dei, ut est in se, non autem Dei ut est in creaturis, alioqui participationes essent creaturarum.

Tertiam explicationem habet Herice *disp. 48. cap. 3.* Tertiam Herice coincidens cum authoribus quos improbat; dicit enim supernaturalitatem esse sitam in connexionem immediata, vel mediata cum Deo ut est in se, vel in effectu

Prima explicatio entis supernaturalis Antonij Peres.

Confutatur hæc opinio.

Secunda Albertini.

Destruitur talis explicatio.

Tertia Herice.

effectu qui emanat ab ea connexione siue illa sit physica qualis est vnio hypostatica, siue intentionalis qualis est visio beata, & omnes actus virtutum, quibus vnimur cum Deo, & ordinamur ad eius fruitionem: effectus autem ab ea connexione manantes sunt dotes corporis gloriosi & alia huiusmodi: ergo in ea vnione cum primario ente situs est excessus entis supernaturalis supra omnem naturam, quia est nobilior omni planè natura, in ordine itaque illo ad possessionem Dei, & vnionem cum Deo quæ fit in beatitudine tota supernaturalitas est sita.

Auertitur hæc opinio.

Hæc explicatio coincidit cum prioribus, & petit similiter principium, semper enim queritur quare vnio illa & connexio cum Deo superet exigentiam cuiuslibet naturæ creabilis. Imò manifestus hic est circulus, idè enim Fides est supernaturalis quia ordinatur ad illam connexionem, & idè tantum habet illam connexionem quia est supernaturalis, prius enim est fidem esse supernaturalem quam habere proportionem cum visione beata.

Recentiores refutantur.

Eodèque argumento reiciuntur quidam recentiores qui volunt supernaturalitatem esse sitam in connexione cum gratia sanctificante, quæ basis est & ratio totius supernaturalitatis, gratia enim superat naturam.

Hoc (inquam) nihil explicat, quia queritur quare illa entitas gratiæ talis sit vt superet naturam, præsertim cum substantiæ spirituales nobiliores sint quam gratia: Deinde non apparet quam habeat connexionem cum gratia creatio accidentium extra subiectum, & modus sacramentalis. Neque moror in explicatione refutanda eorum qui dicunt, naturale illud esse quod habet connexionem cum Deo vt est vnus, supernaturale illud quod habet connexionem cum Deo vt est trinus. Quasi verò Deus vnus attingi non possit actu supernaturali, & Deus trinus actu naturali.

Maneat igitur rationem vniuersalissimam entis supernaturalis illam duntaxat esse quam assignauimus, quod adueniat naturæ, sitque supra exigentiam cuiuslibet naturæ. Vnde autem fiat vt indebita sint ea quæ sunt supernaturalia, non vna ratio de omnibus hoc probat, sed ex speciali singulorum natura probari debet.

Solutio primæ dubitationis.

Ad primam Respondeo eundem esse in omnibus conceptum supernaturalitatis, sed causam supernaturalitatis diuersam esse.

Secundæ.

Ad secundam satis etiam probatum est prima parte quod solis accidentibus conuenire potest supernaturalitas, nulla verò substantia esse potest supernaturalis, quia omnis substantia etiam increata natura est cum sit principium primum suarum proprietatum & operationum. Sed hæc eo loco exposita & probata non videntur debere repeti.

S. II.

Utrum supernaturalitas habituum & actuum supernaturalium petatur ex obiectis formalibus, an verò ex principii effectiuis.

In quo sita sit difficultas.

Sic constituta ratione generica entis supernaturalis, in eo quod superet exigentiam cuiuslibet subiecti, inquirenda est propria ratio vnde habitus & Actus tum intellectus tum voluntatis habeant vt eo modo sint indebiti cuiuslibet subiecto. In qua difficultate celeberrima, aliquid est omnino de re, aliud autem est solum de nomine. De re ipsa controuertitur, vtrum illa supernaturalitas petatur solum à principii per quæ actus producitur, ita vt actus ille aut habitus sit supernaturalis qui non potest causari ab illo principio creato, sed exigit à solo Deo causari

vt causa particulari. Disputatur autem de voce quando queritur quid significet obiectum illud formale à quo, dicunt communis Theologi & Philosophi specificari actum & habitum: quod vt breuissime declararem, quantum ad institutum meum pertinet.

Certum est primò, nullum esse omnino actum & habitum in quo non debeat assignari aliquod obiectum materiale, & aliquod obiectum formale: Illud omne vocatur obiectum materiale, quod terminat talem actum, id est illud totum quod cognoscitur vel amatur.

Obiectum materiale quid sit.

Obiectum autem formale vocatur specialis illa ratio propter quam & sub qua illud obiectum materiale terminat talem actum, apud omnes enim formale illud est propter quod talis materia terminat talem actum. Neque aliud potest afferri discrimen obiecti materialis proximi, ab obiecto formali, nisi quod obiectum materiale est id quod terminat, formale ratio sub qua terminat.

Obiectum formale quid sit.

Vnde sequitur primò, quod eadem omnino res & eadem entitas in recto, est obiectum materiale simul & formale, sed sub diuerso respectu, nam color quatenus est id quod videtur est obiectum materiale visus, quatenus est ratio videndi potius quam intelligendi est obiectum formale quæ vocatur propriè visibilitas vt statim dicam.

Sequitur secundò, quod quamuis eadem entitas à duplici attingatur actu, qui eandem etiam attingat formalitates, non sequitur tamen quod habeant idem obiectum formale, sed tantum quod habeant idem obiectum materiale, sicut quamuis eundem Deum amem quem cognosco, tamen obiectum formale intellectus est verum, & obiectum formale voluntatis est bonum. Ratio est quia entitas in recto & totum illud quod attingitur est tantum obiectum materiale, ergo vt duo actus habeant eadem obiecta formalia requiritur vt eandem entitatem, & eandem formalitates attingant sub eadem ratione formali.

Sequitur tertio, quod obiectum formale vt sic non cognoscitur nec amatur, (vt quod,) quia quatenus est id quod cognoscitur aut amatur non est obiectum nisi materiale quatenus autem est obiectum formale cognoscitur & amatur tantum vt (quo) quia est ratio cognoscendi & amandi.

Certum est secundò, quod obiectum formale pro vt distinguitur ab obiecto materiali essentialiter duo dicit, vnum in recto, & alterum in obliquo. In recto est ipsa entitas quæ cognoscitur, siue obiectum ipsum in ratione rei: In obliquo autem est proportio & virtus talis obiecti ad mouendam potentiam tali vel tali modo, siue obiectum formale in ratione obiecti, v. gr. obiectum formale visus est visibile, quod necessarid duo dicit, in recto & in ratione rei est ipse color, quem etiam intellectus cognoscit, in obliquo autem & in ratione obiecti est virtus talis obiecti ad mouendam potentiam ad videndum.

Distinctio obiecti materialis & formalis, vnde.

Vnde sequitur primò, quod proportio illa & virtus obiecti ad mouendam potentiam non est aliqua tantum conditio in obiecto vt obiectum est, sed est vera ratio constituens obiectum formale quia per illam obiectum formale distinguitur ab obiecto materiali, nam visibilitas coloris propriè constituit colorem obiectum visus & intelligibilitas coloris constituit colorem obiectum intellectus.

Sequitur secundò, quod visibilitas seu proportio illa & virtus coloris ad mouendam potentiam constituit obiectum formale, aliæque huiusmodi non sunt denominationes solum extrinsecæ petiæ ab actibus vel habitibus quos specificant. Nam visibile, v. gr. sumitur dupliciter primò actiue, secundò passiue, si sumatur actiue significat obiectum pro vt talem habens

bens proportionem, vt possit mouere potentiam quodam speciali modo, quæ non est denominatio ab actuali visione, sed est fundamentum visionis, & ratio motiua potentie: si verò sumatur passiuè, tunc non est aliud quàm extrinseca denominatio, quia significat id quod potest videri. Quoties igitur per huiusmodi voces explicantur obiecta formalia scibile, amabile, non debent passiuè intelligi sed actiuè, significatur enim proportio & virtus mouens: proportio verò illa & virtus est relatio quædam secundum dici ad potentiam quam mouet speciali modo, non enim est ordo transcendentalis secundum esse, quia obiectum est aliquid absolutum, & independens à potentia quamuis explicetur per quamdam habitudinem ad potentiam sine qua non potest explicari neque definiri.

Sequitur tertio, quod illa proportio & formalitas quam obiectum formale superaddit obiecto materiali est aliquid, quod reuera se tenet ex parte obiecti, & non tantum ex parte potentie attingentis tale obiectum, quia obiectum est in se reuera visibile, intelligibile, amabile, nullo cogitante intellectu. Formalitates enim omnes & relationes sunt aliquid verè reale ante operationem intellectus vt omnes fatentur. Vtrum autem illæ formalitates distinguantur ex parte obiecti, adeo vt vna possit obiectiuè concipi, quin altera concipiatur: an verò distinguantur solum ex parte intellectus qui cognita vna formalitate cognoscat saltem confusè alias omnes formalitates eiusdem obiecti, pendet ex alia questione, vtrum dentur, vt dicunt, præcisiones obiecti, id est distinctio rationis ratiocinata, quod sanè ad questionem præsentem non pertinet: nam siue intellectus præcindat tantum formaliter vnam formalitatem ab altera concipiendo illas omnes confusè. Siue præcindat obiectiuè, concipiendo vnam tantum formalitatem, alias autem concipiendo tantum secundum id quod dicunt in recto, quia concipere formalitatem est concipere rectum in ordine ad obliquum. Quidquid (inquam) in ea re dixeris semper verum est, formalitatem illam quæ dicitur obiectum formale esse aliquid verè reale se tenens ex parte obiecti, siue illud distinguatur per rationem ab alia formalitate, siue distinguatur solum per conceptus explicitos & confusos. Sicut vnum, verum, bonum sunt veræ proprietates entis, quamuis distinguantur solum per conceptus confusos. His præmissis.

Difficultas tota est, vtrum actus & habitus Fidei verbi gratia idè tantum excedat exigentiam cuiuslibet subiecti quia producit à principio supernaturali: an verò quia eius obiectum est supernaturale, non quatenus est obiectum materiale quod attingitur, sed quatenus est obiectum formale sub quo attingitur.

Ratio verò dubit. primaria & ferè vnica quæ nituntur Authores adducendi, est, quia si actus Fidei & amoris omnino naturalis potest habere idem prorsus obiectum formale quod attingitur actu supernaturali, non potest dici quod supernaturalitas horum actuum & habituum petatur ex obiecto formali, sed actum omnino naturalis Fidei & amoris potest habere idem omnino obiectum formale, quod habet actus supernaturalis virtutum eiusdem nominis, & contra: ergo supernaturalitas illorum actuum non petitur ab obiectis formalibus. Probatur minor, illi actus habent eadem obiecta formalia, si actus naturalis attingit omnino idem, quod attingit actus supernaturalis, sed actus fidei naturalis attingit eandem entitatem, & eandem rationem motiuam, ergo, actus naturalis & supernaturalis possunt habere idem obiectum tum materiale tum formale.

Tom. I.

Minor probatur primò, de actu Fidei, nam possum naturaliter audire aliquem dicentem Deum esse Trinum, & Deum hoc dixisse, tunc actu naturali hoc apprehendam & credam si velim quia Deus dixit, si enim homini vel Angelo mihi aliquid dicenti possum credere, certè credere possum Deo dicenti. Imò rusticus cui proponitur aliquid falsum tanquam à Deo dictum, credit illud ex toto corde propter solam reuelationem primæ veritatis, & elicit actum purè naturalem: constat etiam quod in statu purè naturæ homo credere potuisset Deum aliquid præcepisse, & dixisse se præcepisse, potuit ergo actu naturali aliquid credi propter reuelationem. Denique si obiectis differunt actus fidei naturalis & supernaturalis, potest homo certò scire se elicere actum Fidei diuinæ.

Deinde de Virtutibus aliis Theologicis eadem ratio est, nam quæcunque perfectio diuina dicatur esse motiuum actus supernaturalis illa poterit naturaliter amari, Deum enim vt authorem naturæ possumus cognoscere ac amare per actum supernaturalem & Deus author gratiæ ac finis supernaturalis attingitur actu naturali. In virtute Spei res etiam est euidens, nam hæretici actu naturali sperant Dei possessionem & auxilium, & nos actu naturali beatitudinem sine dubio appetimus. Denique de virtutibus moralibus supernaturalibus probatur euidenter, nam iustitia infusa nullum planè habet obiectum aut materiale aut formale quod non etiam habeat iustitia virtus moralis & acquisita: nam ambæ respiciunt eandem equalitatem cum iure alterius propter honestatem illius equalitatis: si enim non respiciat honestatem non erit virtus moralis, & si non respiciat equalitatem non erit iustitia, ergo virtus infusa non habet aliud obiectum quàm virtus naturalis. Et hoc idem argumentum valet siue dicas cum Vasque quod iustitia naturalis respicit hominem vt conciuem in republica humana, supernaturalis respicit hominem vt ciuem cœlestis Ierusalem, siue dicas cum Suarez quod virtus naturalis respicit conformitatem cum natura rationali vt eleuata per gratiam, nam illa omnia per actum naturalem & supernaturalem attingi possunt.

Confirmatur primò, quia desiderium, amor, & gaudium versantur circa idem bonum & tamen specie differunt. Scientia infusa & acquisita idem habere possunt obiectum: albedinem possum videre per actum naturalem & supernaturalem.

Confirmatur secundò, quia postquam facta est sufficiens obiecti propositio, ad actum Fidei & Charitatis, potest Deus negare concursum, ad actum supernaturalem, ergo tunc actu naturali potentia feretur in illud obiectum, in quod ferretur actu supernaturali si haberet concursum.

Secundò, actus non potest adæquatè specificari ab obiecto etiam in ratione obiecti, ergo supernaturalitas non petitur ab obiecto in ratione rei, vel in ratione obiecti. Probo antecedens, quia quod extrinsecum est actui non potest esse differentia essentialis ipsius actus. Deinde obiectum in ratione obiecti non denominatur supernaturale nisi per supernaturalitatem ipsius actus, nihil enim aliud est obiectum in ratione obiecti quàm obiectum prout terminat talem actum, virtus enim mouendi potentiam tali modo est virtus concurrenti ad talem actum, ergo actus fiet supernaturalis ex obiecto, & obiectum fiet supernaturale per ipsum actum vbi est verus circulus. Deinde per illud actus specificantur per quod differunt essentialiter, sed actus qui habent ordinem essentialem ad principia diuersa, differunt essentialiter, ergo actus specificantur à principijs per quæ producantur.

XXX

Primò

De virtutibus Theologicis eadem est ratio.

Statu
contro-
uerſiæ.

Ratio
prima du-
bitandi.

Tertia.

Tertiò, si ab obiectis formalibus peteretur supernaturalitas & distinctio actus supernaturalis ab actu naturali, sequeretur quod essent in eodem obiecto plures formalitates diuersæ se tenentes ex parte obiecti, quarum vna præcindi posset ab altera, si enim idem obiectum terminat actum naturalem & actum supernaturalem, secundum diuersas formalitates obiectiuas, sequitur formalitates illas esse obiectiue distinctas ex parte obiecti: consequens illud absurdum est, quia qui admittunt distinctionem istam rationis ratiocinatæ seu præcisiones obiectiuas, admittunt in rebus creatis idem miraculum quod in sanctissima Trinitate adeò difficile credi potest: eadem enim entitas creata identificatur pluribus formalitatibus de quibus affirmari possunt prædicata contradictoria, sicut essentia Patris identificatur paternitati, & tamen communicatur Filio cui non communicatur paternitas: essentia & filiatio sunt idem, & tamen filiatio producit non producit essentia. Similiter enim in eodem obiecto sunt duæ formalitates identificatæ obiecto, quarum tamen altera cognoscitur altera non cognoscitur, vna proportionata est actui supernaturali, & illum specificat, altera non est proportionata, neque illum specificat.

Deinde illæ formalitates non sunt aliquid fictum sed sunt verè reales, ergo sunt entitates quod enim non est entitas, est purum nihil, ergo si sunt formalitates distinctæ sunt etiam entitates distinctæ. Denique si dantur plures formalitates obiectiuæ in eodem obiecto materiali per quas diuersi actus specificantur, sequitur quod in tali obiecto tot sunt formalitates obiectiuæ quot actus possunt ab illo obiecto specificari, illi autem actus sunt infiniti, ergo in quolibet obiecto erunt infinitæ formalitates.

Assertio
Secunda.

Dico secundo, supernaturalitatem actuum & habituum infusorum non peti primario & formaliter à principiis effectiuis, sed ab obiectis formalibus prout obiecta sunt. Ita tenet cum sanctis Thoma & Bonauentura communior sententia Philosophorum & Theologorum quos dabunt Snares l. 2. de gratia c. 11. Vasques prima 2. disp. 86. c. 6. Scotus Azor, Turrianus contra recentiores non paucos Salam. tom. 2. tract. 11. disp. 6. Conink disp. 5. dub. 1. & 2. de Lugo de fide disp. 9. sect. 1. Herice disp. 48. c. 4. Granadum disp. 5. proemiali sect. 5.

Probat
primò.
quadrupli-
ci ratione.
Ratio
prima.

Probat autem primum ex quadruplici ratione, postea ex totidem absurdis: prima ratio sit, quia si nullus est actus supernaturalis cuius obiectum formale non sit diuersum ab obiecto formali actus purè naturalis, sufficienter ad diuersitatem specificam, potest supernaturalitas actuum peti ab obiecto formali: tota enim ratio cur dicant aduersarij supernaturalitatem peti à principiis est quia actus naturalis, & supernaturalis idem habent obiectum formale: Imò fatentur etiam illi, quod sæpè actus distinguuntur per obiecta formalia verbi gratia non negant Fidem & scientiam, Spem & amorem distingui per obiecta: sed nullus est actus supernaturalis qui non habeat obiectum formale diuersum ab obiecto formali actuum naturalium sufficienter ad distinctionem specificam: ergo supernaturalitas actuum & habituum petitur ab obiectis. Probat minor, actus naturalis & supernaturalis tam differunt obiectis formalibus quàm intellectus & voluntas, phantasia & appetitus, scientia intuitiua & abstractiua, sed intellectus & voluntas &c. differunt obiectis sufficienter ad distinctionem specificam, ergo actus naturalis & supernaturalis differunt obiectis sufficienter ad distinctionem specificam. Probat maior, idè intellectus & voluntas differunt obiectis formalibus, quia obiectum intellectus est ens prout verum &

intelligibile, id est habens vim mouendi potentiam tali modo vt intelligat, & obiectum voluntatis est ens prout bonum seu amabile: sed obiectum actus naturalis est ens prout cognoscibile vel amabile modo prout debito naturæ, & obiectum actus supernaturalis est ens prout cognoscibile vel amabile modo prout indebito, ergo actus naturalis & supernaturalis, tam habent obiecta formalia diuersa, quàm intellectus & voluntas &c.

Secunda ratio sit, quia actus supernaturalis non potest primario specificari à principiis à quibus producit si tota specificatio & supernaturalitas habitus & aliorum principiorum petatur ab obiecto mediante actu: sed tota specificatio & supernaturalitas habitus aliorumque principiorum petitur ab obiecto, mediante actu, ergo supernaturalitas & specificatio actus non petitur à principiis. Probat minor ab eo solo petitur specificatio habitus per quod solum probari potest quod excedat exigentiam omnis naturæ, sed quod habitus charitatis verbi gratia, excedat exigentiam omnis naturæ non probatur nisi ab obiecto, eodem enim modo probatur supernaturalitas habitus Fidei quo probatur supernaturalitas luminis gloriæ, sed illa probatur tantum per excessum obiecti supra omnem naturam, quis enim vnquam probauit visionem Dei esse indebitam omni subiecto, quia lumen gloriæ indebitum est: hoc sanè nemo probat nisi ex obiecto, ergo similiter supernaturalitas actus fidei petitur ex obiecto non autem ex lumine Fidei habitualis.

Tertia ratio sit, quia supernaturalitas actus & habitus non petitur à principiis productiuis si prius sit actum & habitum esse supernaturalem, quàm necessariò produci à principio supernaturali, sed prius est actum esse supernaturale quàm exigere produci à principio supernaturali, quod innumeris exemplis à pari probò, prius est actum esse spirituale, quàm non posse produci nisi à principio spirituali, & obiectum esse incorporeum quàm non posse attingi à potentia corporea, ergo similiter prius est actum esse supernaturalem quàm illum non posse produci à principio naturali, quis enim vnquam probauit intellectionem esse spirituales, quia intellectus est spiritualis, certum enim potius est quod omnes probant spiritualitatem intellectus, ex spiritualitate intellectionis & obiecti. Alterum exemplum est de pondere aliquo granissimo; prius verbi gratia est, quod aliquis lapis sit in se grauis quàm quod ego illum non possim tollere. Non enim dici potest lapidem esse granem, quia illum ego non possum tollere, eum potius idè illum ego non possum tollere quia est talis grauitatis: ergo similiter non idè habitus est supernaturalis quia nulla creatura potest illum producere, sed potius idè nulla creatura potest illum producere quia est supernaturalis: similiter prius est quod aliquis sit homo, quàm quod non possit generari nisi ab homine idè enim illum generat homo, quia est homo, non contra.

Quarta denique ratio sit, quia possunt actus eiusdem speciei produci per principia diuersæ rationis, & à principiis eiusdem rationis esse possint actus diuersæ speciei, ergo actus non specificantur per principia. Antecedens multis exemplis probatur: motus quos Angeli specie diuersi cælo imprimunt non differunt specie si sint ad similes loci differentias, duo calores producti ab igne & sole sunt eiusdem speciei. Deinde visio beata & Charitas minimi Angeli non est perfectior essentialiter quàm visio & charitas Christi, alioqui Christus & Beata Virgo minus essent sancti quàm minimus Angelus, ergo visiones procedentes à principiis diuersæ speciei

ciei eiusdem esse possunt speciei vt probatum est prima parte.

Probatur Secundo, probatur conclusio ex variis absurdis iisque omnino manifestis. Primum sit quia si propterea actus & habitus sunt supernaturales quia exigunt produci à solo Deo vt causa particulari, sequitur Angelum, animam rationalem, & quamlibet creationem esse supernaturales quia exigunt, imò nec possunt creari nisi à solo Deo vt causa particulari, quæ ratio videtur esse planè conuincens & demonstratiua.

Secundum Secundum absurdum est, quia certum est hominem esse laudabilem & præmio dignum ex eo quod agat supernaturaliter magis quam naturaliter, sed nullo modo erit laudabilis si supernaturalitas actus petitur tantum à principio productiuo, quod probabo: homo non est laudabilis ex eo quod agat supernaturaliter magis quam naturaliter si non magis ei tribui possit quod agat supernaturaliter non autem naturaliter quam non potest ei tribui quod se determinet ad vnum indiuiduum potius quam ad aliud, sed non magis se determinabit ad agendum supernaturaliter quam se determinet ad indiuiduum, ergo non erit laudabilis quod agat supernaturaliter. Probatur minor, tunc homo non se determinat ad actum supernaturalem, quando se determinat ad id tantum quo posito actus est indifferens vt sit naturalis vel supernaturalis, sed homo non se determinat nisi ad id quo posito actus est indifferens vt sit naturalis, vel vt sit supernaturalis, ergo non se determinat ad actum supernaturalem, probatur minor, non potest homo se determinare ad credendam Trinitatem nisi quia Deus dixit, sed eo posito actus adhuc est indifferens vt sit naturalis vel supernaturalis, ergo voluntas se determinat ad id tantum quo posito actus est indifferens vt sit naturalis, vel supernaturalis. Deinde probabo euidenter, ille solus determinat ad actum supernaturalem magis quam ad naturalem, qui solus determinat vt actus prodeat potius à principio supernaturali, quam à naturali, sed solus Deus determinat vt actus magis prodeat à principio supernaturali quam à naturali, quia solus dat gratiam. Denique sicut solus Deus determinat causam secundam ad indiuiduum hoc potius quam ad aliud, quia posita determinatione ad speciem & exercitium causa secunda est indifferens ad hoc vel aliud indiuiduum, sed posita determinatione voluntatis ad credendam Trinitatem quia Deus dixit, intellectus non magis Deum determinat ad dandum principium supernaturale quam naturale, ergo solus Deus determinat.

Tertium Tertium absurdum est, quia certum est probari à Conciliis, Patribus & communiter à Theologis necessitatem gratiæ ad actus Fidei & aliarum Virtutum ex illorum actuum supernaturalitate, si autem actus supernaturalitas non est formaliter aliud quam necessitas gratiæ ad illud producendum certe non poterit sine circulo vitioso probari necessitas gratiæ ad credendum ex supernaturalitate actus credendi. Quoties ergo definiunt Concilia gratiam esse necessariam ad credendum sicut oportet id est supernaturaliter, significarunt tantum necessariam esse gratiam, ad credendum cum gratia quod vt vides absurdum est.

Solutio Ad primam Respondeo, toto eo argumento probari tantum quod actus naturalis & supernaturalis habent obiectum idem materialiter & in ratione rei, non sequitur quod habeant idem formaliter & in ratione obiecti. Fateor enim semper quod ambo actus attingant easdem entitates & easdem formalitates materialiter & entitatiuè, sed nego quod sub eadem formalitate attingat easdem entitates & easdem formalitates, atque adeo non attingunt idem obiectum in ratione obiecti. Verbi gratiâ, reuelatio entitatiuè

Tom. I.

sumpta est indifferens vt sit obiectum Fidei naturalis & supernaturalis, sed reuelatio prout habens virtutem mouendi potentiam modo naturæ indebito, est obiectum formale Fidei infusæ, prout autem habens proportionem & vim ad mouendam potentiam modo naturæ debito, est obiectum formale fidei acquisitæ, quod idem debet applicari aliis virtutibus Theologicis & moralibus, nam illæ attingunt idem siue naturales sint, siue supernaturales, sed non attingunt idem sub eadem ratione formaliter.

Ad secundam Respondeo, actum & habitum intrinsecè specificari per ordinem ad obiecta formalia: semper autem negari debet quod obiectum in ratione obiecti non denominetur supernaturale nisi per supernaturalitatem ipsius actus, nam seipso est supernaturale quatenus habet mouendi potentiam modo indebito, & hoc est aliquid intrinsecum obiecto antecedens actum & ipsum specificans, quamuis explicetur per relationem secundum dici ad potentiam & actum, eo modo quo Dei omnipotentia explicatur per relationem secundum dici ad possibilia, ostendi enim dici nullo modo posse quod obiectum in ratione obiecti sit obiectum prout terminat actum. Cum enim dicitur virtus ad mouendam potentiam tali modo, ille modus non significat ipsum actum nisi ad summum fundamentaliter, obiectum enim specificat actum prout est fundamentum talis actus.

Ad tertiam Respondeo, sufficere omnino ad specificationem actuum per obiecta, quod formalitates illæ quæ sunt in eodem obiecto materiali differant inter se secundum diuersos conceptus explicitos & confusos: neque necesse est vt illæ formalitates ita distinguantur ex parte obiecti, vt intellectus concepta vna non concipiat alteram confusè quod est præcindi obiectiue, seu distingui ratione ratiocinata per conceptus inadæquatos quo tamen modo distingui posse multas formalitates atque ita dari præcisiones obiectiuas demonstrabam in Metaphysica, & in tractatu de Sacramentis fusè probatum est. Magnam enim hic video esse quæstionem de nomine, in qua soluenda non est quod immeret.

SECTIO II.

Vtrum virtutes Theologicae sint habitus simplices & indiuisibiles extensiuè.

Duplex in Virtutibus Theologicis excogitari potest compositio & diuisibilitas, altera dicitur intensiua, altera extensiua: intensiua illa est quæ magis inclinat ad eundem actum, verbi gratiâ, cum firmitus credo eundem articulum: extensiua est quæ inclinat ad diuersos actus, verbi gratiâ, cum credo Trinitatem, deinde verò Incarnationem. Non est dubium quin Virtutes omnes Theologicae sint intensiue diuisibiles, nam est certum quod quæ proportionem crescit gratia, eadem etiam crescunt intensiue habitus: sed difficultas est de augmento extensiui, vtrum videlicet requiratur diuersus habitus entitatiuè quo producantur actus diuersi pertinentes ad eandem virtutem: verbi gratiâ, quando aliquis qui credebat Trinitatem, & habebat habitum incipit credere Incarnationem, acquirat habitum diuersum à primo, an verò ille idem habitus qui ad credendam Trinitatem inclinabat, inclinet etiam ad credendam Incarnationem, & quemlibet alium articulum. Quod est querere vtrum virtus Theologica sit qualitas simplex, an verò constet pluribus habitibus partialibus.

Ratio dubitandi est primò, quia omnis habitus acquisiti virtutum naturalium sunt compositi ex pluribus partialibus, & capaces augmenti & extensiui tum intensiui, verbi gratiâ, Philoſophus quicquid erat esse

XXx 2

quatuor

Secunda.

Tertia.

Duplex compositio consideranda.

Ratio prima dubitandi.

quatuor elementa, si de nouo incipiat scire immortalitatem animæ, acquirit habitum nouum omnino distinctum à præcedente, idem enim physica non est extensiuè indiuisibilis, quod idem verum etiam est de habitibus Virtutum moralium, constant enim ex habitibus partialibus qui nullo modo inter se vniuntur, sed omnes rationes quæ probant habitus naturales esse diuisibiles extensiuè, idem etiam probant de habitibus supernaturalibus, ergo habitus supernaturales sunt extensiuè diuisibiles.

Secunda. Secundò, tota ratio propter quam habitus isti naturales sunt compositi est quia, toties nouus habitus est ponendus quoties actus producendus habet difficultatem insuperabilem à priore habitu, verbi gratiâ, habitus physica qui cognoscit elementa, non potest dare facilitatem ad cognoscendam immortalitatem animæ, idem ab eo distinguitur, sed qui habet facilitatem ad credendum Deum esse vnum, non habet facilitatem ad credendum illum esse Trinum, ergo habitus supernaturalis est diuisibilis æquè ac naturalis. Neque obstat quod obiectum formale istorum habituum est vnum specie infima, nam quoties noua est difficultas etiam tantum ratione diuersi obiecti materialis insuperabilis per priorem habitum, toties debet esse nouus habitus, nam habitus temperantia circa cibum distinctus est ab habitu temperantia circa potum, ex eo tantum quod noua est difficultas.

Tertia. Tertio, quoties ille qui vnum credebat articulum, verbi gratiâ, Dei vnitatem in essentia, incipit credere alterum articulum, verbi gratiâ, Trinitatem personarum, producit sine dubio aliquis habitus, vel igitur tunc augetur intensiuè habitus Fidei vel augetur extensiuè: non primum habitus enim ille differt ab eo qui produceretur magis inclinans ad eundem actum ergo tunc habitus Fidei augetur extensiuè. Imò qui credit vnum articulum non credit propterea omnes alios: qui elicit actum charitatis circa vnum obiectum, non habet propterea facilitatem ad omnes alios: qui elicit actum charitatis circa vnum obiectum, non habet propterea facilitatem ad omnes alios actus charitatis, ergo illi habitus non sunt simplices sed sunt compositi.

§ Sectio I. Dico primò, Virtutes Theologicae sunt qualitates omnino simplices & indiuisibiles atque adeò incapaces extensiuè cuiuslibet augmenti.

Probat. Ratio est, quia vbi est obiectum formale omnino vnum specie infima, & obiecta materialia nouam non ingerunt difficultatem, ibi necesse est vt habitus sit extensiuè indiuisibilis: sed in Virtutibus Theologicis obiectum formale vnicum est specie infima & obiecta materialia non inducunt nouam difficultatem, ergo sunt extensiuè indiuisibiles. Maior apud omnes in confesso est, quia in habitibus acquisitis tota ratio cur augmentum extensiuum debeat admitti est, quia, obiecta earum partialia diuersa sunt specificè subordinata eidem obiecto totali, quod non est vnum nisi per aggregationem & genericè, & quia circa obiecta materialia difficultas est insuperabilis per priorem habitum.

Minor ergo probatur de obiectis formalibus, nam obiectum formale Fidei est prima veritas reuelans, obiectum formale Spei, est summum bonum vt possidendum, obiectum formale Charitatis est Deus vt in se infinite bonus. Hæc omnia indiuisibilia sunt, igitur obiecta formalia Virtutum Theologicarum sunt indiuisibilia. Præterea circa obiecta materialia non potest esse noua difficultas quia qui credit vnum articulum, quia Deus dixit, debet necessarîo credere omnes alios articulos, alioqui non credit propter solam auctoritatem primæ veritatis, si enim pro-

pter illam solam creditur, certè vbiunque illa reperitur debet eodem modo credi. Et confirmari efficaciter potest quia si essent extensiuè diuisibiles isti habitus, non necessariò produceretur simul habitus se extendens ad omnes actus eiusdem virtutis, sed producit omnino simul totus habitus prout se extendit ad totum obiectum: nam Fides quæ in prima iustificatione producit inclinatur ad credendos omnes articulos vt patet, & Spes ad speranda omnia bona spiritualia, & Charitas ad vitandum omne peccatum. Denique si Fides esset diuisibilis per quemlibet actum infidelitatis totus habitus non destrueretur, & per peccatum desperationis non destrueretur totus habitus Spei.

Dico secundò, probabilius est quod virtutes etiam morales infusæ, sunt habitus simplices & extensiuè indiuisibiles.

Ratio est, quia isti etiam habitus producantur & destruantur simul, Deinde quia obiecta earum formalia sunt etiam omnino indiuisibilia, respiciunt enim honestatem supernaturalem prout subest diuinæ reuelationi quæ vt sic est indiuisibilis.

Ad primam Resp. concedendo habitus omnes acquisitos esse diuisibiles extensiuè, quia nec amittuntur nec producantur toti simul circa omnia obiecta materialia vt patet. Deinde quia eorum vnitas petitur ab obiecto formali quod non est vnum nisi genericè, imò & eorum obiecta materialia nouas habent difficultates insuperabiles per priorem habitum: in habitibus verò infusis alia ratio est, quia illi simul acquiruntur & simul amittuntur: obiecta eorum formalia sunt speciei vnus infimæ, & nemo potest habere habitum circa vnum obiectum materiale, quin habeat etiam habitum circa obiectum quodlibet materiale eiusdem virtutis. Vnde ad probationem primò quidem non valet hæc argumentum de facilitate, quia isti habitus non faciunt, atque adeò etiam si experiamur difficultatem, id non prouenit ex defectu habitus infusi qui non tollit difficultatem. Deinde nego posse contingere vt aliquis habeat facilitatem circa vnum obiectum materiale prout substat obiecto formali, quin habeat eandem facilitatem circa omnia obiecta quæ substant eidem motiui formali: Concedo autem fieri posse vt habeat facilitatem circa vnum, non autem circa alia omnia prout substant motiui diuersis, v.g. potest aliquis credere Trinitatem Fide humana, vel opinari prout sibi declaratum probabiliter, & habere difficultatem circa Incarnationem Fide tali acquisita credendam, sed si pura reuelatio fuerit motiui credendi Trinitatem implicat vt non credas Incarnationem quam per motiui credibilitatis cognoscis similiter reuelatam. Hoc autem etiam valet pro reliquis Virtutibus infusis purè moralibus, quia implicat vt propter honestatem prout reuelatam possis amare temperantiam circa cibum, quin amare possis temperantiam circa potum. Ex quo patet responsio. Ad 2.

Ad tertiam Respondeo quod quando aliquis incipit credere nouum articulum producit noua pars habitus augens intensiuè habitum: nam habitus Fidei inclinans ad credendam Trinitatem, nullo modo differt ab habitu inclinante ad credendam Incarnationem, fateor autem quod species impressæ differunt, vnde fit vt sæpè aliquis credat vnum articulum quin credat alios non ex defectu habitus sed ex defectu speciei. De facilitate circa vnum actum Charitatis non circa reliquos patet ex dictis quid sit respondendum & præsertim: In tractatu de Penitentia, dicitur quomodo sit vniuersalis actus Penitentia factus ex motiui virtutis supernaturalis.

De Causis Virtutum Theologicarum: 533

SECTIO III.

*Verum Virtutes Theologicae ita sint essentialiter
Virtutes ut earum actus non possint
vnuquam esse mali.*

Hæc controuersia licet difficillima dirimi tamen non difficile potest ex his qui disputata sunt de moralitate actuum humanorum : statuebam enim ibi omnino implicare vt idem actus supernaturalis, qui ex obiecto est bonus intrinsecè, sit extrinsecè malus ex fine ad quem dirigi potest ab operante : quo posito sequitur omnino implicare vt habitus supernaturalis sit vnuquam malus vel extrinsecè vel intrinsecè. Vnde tota hæc quæstio manere videtur soluta.

QVÆSTIO III.

De Causis Virtutum Theologicarum.

Non alias hoc loco causas virtutum istarum considero quam efficientes, finalis enim sine dubio est Deus & beatitudo, subiectiua intellectus est & voluntas, formalis hæcenus exposita est. Circa causam efficientem tria sunt difficilia, per quam causam primò producantur, per quam augeantur intensiù, per quam destruantur.

SECTIO I.

*De Causa per quam producit Virtus
Theologica.*

Non est dubium quin Virtutes Theologicae aliquo modo & primò producantur & augeantur etiam per actus, nam habitus Fidei & primò producit & augeatur per actum Fidei. Deinde non est etiam dubium, quin habitus infusi quando primò producantur cum gratia, meritoriè solum producantur per actum quo producit ipsa gratia, quia gratia ipsa non nisi meritoriè producit. Difficultas itaque tantum est, vtrum quando vnus habitus producat per actum sibi proportionatum physice producat ab illo actu, an verò solus Deus physice illum producat, actus autem moraliter tantum & meritoriè.

Ratio verò dubitandi est quia primò, non maior inuenitur proportio inter habitum naturalem & actum naturalem, quàm inter habitum supernaturalem & actum supernaturalem, sed actus naturalis producit physice habitum naturalem, ergo habitus supernaturalis physice producit per actum naturalem.

Secunda. Secundò, tota ratio quæ probat habitus istos moraliter solum produci per actus, est quia, isti habitus sunt potentia, illa ratio nulla est, probaret enim quod ne moraliter quidem producerent, nullus enim est actus qui non præsupponat potentiam, sed actus non potest producere moraliter id quod præsupponit, ergo actus ne moraliter quidem producat habitum.

Tertia. Tertiò, habitus non est potentia respectu illius actus à quo producit, ergo ille actus potest physice producere habitum.

Affertio prima. Dicendum tamen est probabilius omnino esse quod habitus infusi Theologici & morales producantur solum moraliter ac meritoriè per actus, physice autem à solo Deo. Ita docent Theologi communissimè cum S. Thoma, 1. 2. quæst. 51. art. 4. Vasque disput. 74. Suarez lib. 8. de gratia cap. 4. de Lugo disp. 16. de fide sectione quarta. Coninck disputat. 7. dubio 3.

adeò vt contrariam sententiam aliqui damnent erroris & temeritatis.

Primò enim ex Tridentino sess. 6. cap. 7. aperte colligitur, dicit enim quod charitas in cordibus diffunditur eorum qui iustificantur, & quod homo accipit infusa hæc omnia Fidem, Spem, Charitatem, ergo ex Tridentino constat istas virtutes non primò produci per actus physice operantes, sed non est maior ratio cur habitus physice augeatur per actus qui præcedunt augmentum, quàm physice producat per actus qui præcedunt primam productionem : ergo si habitus isti primò producantur moraliter per actus, augeantur etiam per illos moraliter.

Deinde habitus vnus virtutis non producit physice neque augeatur nisi per id quod potest producere & augere simul habitus omnium virtutum, & gratiam sanctificantem, nam quoties augeatur habitus supernaturalis augeatur etiam gratia, & habitus omnium virtutum, sed nullus est actus virtutis qui possit physice producere habitus omnium virtutum, actus enim Fidei non potest physice producere habitum Spei aut temperantiæ, ergo actus non producit physice habitum. Imò certum est quod habitus iustitiæ v.gr. crebrius augeatur per actus aliarum virtutum quàm per actus iustitiæ, nam crebrius eliciuntur actus omnium Virtutum simul sumptarum, quàm actus solius iustitiæ, iustus enim vno die si eliciat centum actus virtutum, semel autem aut iterum eliciat actus iustitiæ.

Præterea si habitus isti producerentur physice per actus esset necesse vt etiam quoties homo est incapax meriti & caret gratia isti omnes actus producerent gratiam, nam peccator v.gr. sæpè multos elicit actus iustitiæ vel temperantiæ supernaturalis, & tamen certum est, quod tunc actus temperantiæ non producant habitum temperantiæ in homine peccatore, quia illi habitus non producantur vnuquam sine gratia, ergo signum est istos habitus produci meritoriè per actus non autem physice quod autem in peccatore augeatur habitus fidei sit ex indulgentia Dei, non augeatur autem connaturaliter.

Denique probabilis etiam ratio affertur, quia isti habitus non dant facilitatem potentia, sed sunt complementa intrinseca potentia productiua actuum, vnde argumentor : actus supernaturalis non potest physice producere, id quod præsupponitur existere debere prius quàm sit actus connaturaliter, sed actus supernaturalis antequam connaturaliter, existat præsupponit potentiam intrinsecè completam, ergo non potest producere physice potentiam vel illius complementum intrinsecum quod est habitus.

Dices, id valere tantum pro prima productione habitus non autem pro eius incremento, nam antequam augeatur habitus completa est potentia. Sed contra, sicut primus gradus intensiōis habitus complet potentiam ad producendum actum remissum, ita intensio ipsius habitus complet potentiam ad complendum actum intensum, ergo intensio habitus æquè habet rationem potentia ac prima productio habitus.

Ad primam Respondeo magnum esse discrimen inter habitus supernaturales, & acquisitos nam acquisiti etiam primò producantur per actus, & non habent vllō modo rationem potentia, sed tantum facilitant potentias, quas supponunt esse completas : Virtutes autem supernaturales (vt dixi) non primò producantur per actus, sed à Deo infunduntur, & sunt complementa potentiarum quas non facilitant.

Ad secundam Respondeo quod causa moralis non debet

Probat.

Instantia.

Solutio
primæ
dubitationis.

Secundæ.

XX x 3